Egressurus de septimana sabbato munditias faci
at; Lintea cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt
lavent. pedes vero tam ipse qui ingreditur quam ille qui
intraturus est. omnibus lavent; Vasa ministerii
sui munda et sana cellarario reconsignet;
Qui cellararius iterum intranti consignet. ut sciat
quid dat vel quid recipit; Septimanarii autem
ante unam horam refectionis accipiant super statu
tam annonam singulos biberes et panem ut hora re
fectionis sine murmuratione et gravi labore
serviant fratribus suis; In diebus autem sollempni
bus usque ad missas sustineant; Intrantes
et exeuntes ebdomadarii in oratorio. mox
matutinis finitis dominica omnibus genibus pro
volvantur. postulantes pro se orari; Egrediens autem
de septimana dicat hunc versum. Benedictus
es domine deus qui adiuvasti me et consolatus es me;
Quo dicto tertio accipiat benedictionem egre
diens; Subsequatur autem ingrediens et di
cat; Deus in adiutorium meum intende. domine ad adiu
vandum me festina; Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 23r – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48976)